



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De clericorum accusatoribus, si vnum ex obiectis probare non potuerint,
ad cætera non admittantur. cxciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

serie allegare, eamque manibus vestris roboratam, synodo sacra porrigere, ut conuenienter & canonicè vobis valeat responderi. Et tunc ipsi fratres libellum conscribentes, eique sua nomina subscribentes, porrexerunt. Hincmaro episcopo, qui tunc vna cum Vveuilone Sennensi archiepiscopo, & cum Amalrico Turonensi æquè archiepiscopo, sub presentia gloriosi regis Caroli qui synodo presidebat.

De clericorum accusatoribus, si vnum ex obiectis probare non potuerint, ad cetera non admittantur. Cap. CXCVIII.

ITEM placuit, quotienscunque clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, & vnum ex ipsis de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cetera iam non admittantur.

Ex cõcil. Africa- no, ca. 75

De episcopo aut presbytero, si causa criminalis eis reputata fuerit, quomodo se expurgare debeant. Cap. CXCIX.

SI episcopo aut presbytero causa criminalis, homicidiũ, adulterium, & maleficium reputatum fuerit, in singulis Missam tractare debet, & secretam publicè dicere, & communicare, & de singulis sibi reputatis innocentem se ostendere. Quod si non fecerit, quinquennio à liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur.

Ex cõcil. Vorman. c. 8.

Ut clerici ab alienis iudicibus non constringantur. Cap. CC.

IN clericorum causa huiusmodi forma seruetur, ut nequaquã eos sententia non à suo iudice dicta cõstringat. Criminantem iniuste, & non probantem, verberibus publicè castigandum, & in exilium deportandum. Cap. CCI.

Ex decr. Adriani papæ, ca. 38.

QVVM fortius punienda sint crimina, quæ in fontibus & maximè sacratibus ordinibus ingeruntur, quã sitis culpabiles omnes, qui in causa Ioannis diaconi resedistis attendite, ut Hilarum criminatore ipsius, nulla ex definitione vestra pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram esse credatis idoneũ, quod vobis quasi iudicare volentibus solus frater, & cõepiscopus noster Paschasius dicitur detulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius vni à multis rationabiliter suaderi, quàm multi ab vno poterant sine causa differri. Quia ergo tantæ nequitie malum sine digna non debet

Ex regu. ad Antemiũ subdiaconum campan. cap. 201.